

Martinus Papa obortas inter Sigismundum Cesarem
et Vladislavum Regem turbas sopit

Est in Dugospo.

145

Martinus episcopus servus servorum Dei cha-
rissimo in Christo filio Sigismundo Romanorum
Hungariorum et Bohemiarum regi illustri salutem et
apostolicam benedictionem Super pro parte
charissimi in Christo filii nostri Vladislavi Polo-
niae regis illustris fuit propositum coram no-
bis, astante collegio venerabilium fratrum no-
strorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium
quod licet serenitas tua in celebratione pacis
et reintegratione amicitiae, quam invicem so-
lemniter nobis id cupientibus et operantibus con-
traistis eidem regia fide promiserit, quod i-
psam perpetuis temporibus haberes pro ami-
co et amabiliter pertractares atque prosequeris,
eundem semper ejusque liberos et he-
redes summis favoribus, charitate, et benevolen-
tia singulari, et etiam honoribus ipsius regis
et commoda procurares, nec unquam quovis
quesito colore ad auferenda bona, regna prin-
cipatus atque dominia sua aspirares, nec po-
te, vel alio, contra ejus statum aliquid atten-
tares, immo si quid per aliquem attentari sen-
tires in damnum reale vel personale regis
ejusdem ipsam praevisionem faceres et eundem pro po-
se tuo assisteres. Et quod licet hujusmodi pro-
missa juramento firmaveris scripturis evan-
gelicis, manu tactis, nihilominus ut orator ipsius
regis assent, illorum omnium immemor et con-
temptor regium statum et honorem ejus enormi-
ter offendendo, ducatum Lithuaniae et terras
Rusiae, ipsius regni Poloniae, membra eidem
jam

jam dudum incorporata et unita dilectis filio A.
lexandro duci Lithuanie ad vitam ejus regis au-
ctoritate concessa, prout assensit idem orator ab e-
pro Polonie regno sejungere ac liberare et in
novum regnum erigere et prefatum ducem huc,
jussimodi regni regem in hanc ambitionem et
aviditatem dignitatis suasionibus incitatum con-
stitueret et creare procuras. Quod fieri non posse
apertum est. sine turpi ignominia tui nominis
propter conventa predicta in pace facta cum
predicto Polonie rege et promissionibus tuis, ut
per eundem oratorem offeritur firmatas nec si-
ne ipsius ducis dedecore propter obligationem pre-
fatam, qua obstrictus est dicto regi, prestitis etiam
in ipsius manibus juramento sine ipsorum vi-
olatione manifesta. Et quod non minus confi-
derandum est nobis et tibi, si ad hujusmodi ere-
ctionem regni et creationem, ac coronationem
regis inconsulte procedas, propter manifestam
injuriam, quam tibi fieri prefatus rex, et regnum
pretendant, bellorum pericula vastationeque ter-
rarum, strages fidelium et scandala maxima et
afferunt sequentur, quae modis omnibus evitanda
sunt. Propterea cupientes, ut tenemus, tantam
pestem, tantumque periculum avertere a popu-
lo Christiano, celsitudinem tuam charitative mone-
mus, et cordeque requirimus et rogamus prece miseri-
cordiam Jesu Christi ut in hac causa nihil facias
festinanter, et sine longa et matuta deliberatio-
ne, ac ecclesia inconsulta ne necessarium sit po-
stea qui non possumus lesis postulantis ne-
gare justitiam, de violatione, vel non juramen-
torum pacis ac federum predictorum cognosce-
re, prout idem rex Polonie desiderare videtur, et
forsan nos cogente justitia revocare si quod per-
peram

peram facta essent cum tanto scandalo populi
 Christiani. Cuius te auctorem et suscitatore mēdū
 esse, sed etiam suspicari posse non vellemus,
 ne fama tua quae ubique clarissima est laedat
 et anima tua tanti peccati onere progravetur,
 ut reus in extremo iudicii malorum omnium
 praedictorum, quae necessario ut plurimum seculū
 ra videntur valeas denotari. Quare, fili charissime,
 me in hac tam periculosa materia moderare
 voluntatem tuam, et in hac parte nostris pa-
 ternis monitionibus et consiliis acquiescas et vi-
 am aliam per nos tibi apertam de oratoribus
 transmittendis ad nos amplectaris. Nos etiam
 praesatum Ducem propter eius excellentiam et
 singularia bona, quae fecit in propagatione Chri-
 stianae fidei magnificimus et paternae chari-
 tate diligimus, ac ipsum dignitate regia dignis-
 simum iudicamus. Sed vellemus eum cum
 pace sine scandalo sine iniuria et sine dis-
 cordia fratris sui talibus ornamentis ornari, sicut
 alias scripsimus sublimitati eue. Datum Ro-
 mae apud sanctum Petrum Idibus Novembrijs
 Pontificatus nostri anno 14.

[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to fading and bleed-through.]